



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

De Friderico Strenvo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

nonnullis electus esset, dissentientibus alijs, designatus est Rex Romanorum, in principio, ut ait Argentinensis, mensis Iunii in Kans Bauaria, An. scil. 1347. Sed, ad vitandas, quibus imperium cōcutiebatur turbas, Fridericus, acceptâ certâ pecuniæ summâ Carolo lubens cecidit. Obijt biennio post, sepultus in cēnobio Veterocellesi. Vxorē habuit Mechtildē filiā Regis Ludouici Bauari, facundam valdē, genitricem scilicet denorum liberorum. Ex quo connubio Principes Saxoniae ex stirpe V Vitikindea quotquot hodie Dei gratiā supersunt, omnes fœliciter oriuntur; ita ut ex antiqua illa sanguinis commixtione mutuis adhuc in praeordijs Amitinorum, vtriusque Domus Principum, tanquam * fratris, & sororis filiorum amor exudet, ac firma hereat, quantum Religio patitur, amicitia. Obijt illa anno praecedente 1346. d. 2. Iulij, eodē, quo maritus, sepulchro tumultata.

* Stephani
cogno-
mento Fi-
bulati.

DE FRIDERICO STRENVO.

IGITUR ex hoc fœlici coniugio nati, Sigismundus, Administrator Episcopatus Mersburgensis, & Ludouicus, Antistes Magdeburgensis, & Halberstadensis. Catholicā fidem, & religionem ex professo plantare & propagare intenderunt. Fridericus verò cognomento *Strenuus*, qui stemma propagauit, multiplicitate suā fuit in maxima apud omnes

omnes autoritate. Carolum IV. Imperatorem in bellis sæpenumerò iuuit: Arces Eccersbergam, Friburgum, Dornburgū &c. latronum receptacula euertit. Obijt Aldenburgi, d. 26. Maij, Anno. 1380. Sepultus cum vxore Catharina, F. Henrici Comitis in Hēneberg. quæ Coburgum cum adiacētibus oppidis, & arcibus ad maritum attulit, in cænobio Veterocellensi, tribus relictis filijs; Friderico, qui stemma propagauit; V Vilhelmo, qui fundauit Ecclesiam collegiatam S. Georgij, Aldeburgi; & Georgio, qui iustitiæ, & clericorum Amantis nomen habuit.

DE FRIDERICO BELLICOSO,
ET FILIIS EIVS.

Porro primogenitus iste Fridericus, cognomento *Bellicosus*, omnē adolescentiā suā triuit in castris; & tamē Musarū magnus extitit Patronus, & singularis literatorū Mæcenas. Martis itaque & Artis cultor strenuus, qui ex ruinis Academiae* Pragensis, quā vastarūt feditiosi tunc nascentiū Hæreticorū tumultus, fabricauit suā Lipsensem, atq; ita Catholicæ pietati, & Musis exulātibus nouū aperuit Lipsiæ domiciliū d. 12. Nou. An. 1409. Contra factionem coniuratorū, qui se Stellares nominabant ductu Friderici Burggrauij Noribergensis militauit in Francia; cum Conrado ordinis Teutonici Magistro, pro nominis Christi

* Pragensis restaurata est à Ferd. I. & Maximil. II. Imp. Academia Lipsensis à quo, & quando erecta.